

NUMMUS CASTRENSIS

GUIDOBALDI DUCIS URBINI:

summi exercitus Pontificij Imperatoris seu Cap-
tanei : cufus Anno Chri-
fti 1555.



Laruit literis simul & armis hic Guidobaldus Ro-
boreus vel Monfeltrius: Dux Urbini III: Pisauri
Dynasta: Soræ & Senogalliæ dominus. Habetur
quippe in elogio ejus, quod pacis tempore studia
calidè habuerit: Historicus, Musicus, Architectus
fuerit insignis: Martis verò atque armorum peri-
tiæ bellicæ documenta plurima dederit: factus Ca-
pitaneus seu Imperator totius exercitus Pontificij,
cum bellum arderet in Hetruria, Anno Christi 1553.

à Cæsare verò Carolo V. Eques ordinis Tosani creatus. Verum ut nulla
felicitas firmo semper immotoque stat pede; sic neque hujus perduravit.
Corruptus namque à ministris malignis, exactionibus subditos, inprimis
Urbinales ac Eugubinos, oneravit: ideo in odium populi incidens, tumult-
um ejus expertus est, & melancholiâ gravatus in febrim quartanam inci-
dit, quâ mense integro laborans moritur tandem in Pisauero, Anno Christi
1578. 29 Septembr: symboli ei loco fuere Pyramidei seu Obelisci tres, ordine ca-
væ quadratæ impositæ: cum inscriptione φιλεψεϊσὶ τῶν ἀγαθῶν virtutis amantiissimo: & alte-
rum quod hic vides propugnaculum Senogalliæ referens, ita à se extractum,
ut ad omnem orbis plagam vim impetumq; hostilem arceat.

Henninges in Chronologia: An-
thor.